



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

2 De modo procedendi in crimine hæresis via accusationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)



hæreticæ prauitatis negotio procedi possit simpliciter, & de pleno, &c. & ita sine ulla limitatione tradunt Scaccia *de iudic. c. 52. n. 2.* Repert. Inquisit. *verbo ordo, vers. sed quoad telam iudicium* Rojas *in gul. 145. n. 13.* Pegna *d. comment. 103.* Farinacius *quæst. 85. num. 13.* Neque obicit textus in *cap. ut officium* quia iuxta canonicas sanctiones proceditur, ùm proceditur ex priuilegio, & constitutione Sedis Apostolicæ simpliciter, de pleno, & sine figura iudicij.

2. Verùm etiã Inquisitores possunt hoc priuilegio in causis fidei decidendis vri. non tamen obligantur ad sic procedendum, quia in *dist. cap. statutum* dicitur, *concedimus*, quod in inquisitionis hæreticæ prauitatis negotio procedi possit simpliciter, & de pleno. Quæ uerba non iudicant obligationem, sed licentia, & ita tradit Albertin. *tractat. de agnoscend. assert. cathol. & hereticæ. quæst. 34. n. 30.* Vmbert. *Locat. iudic. inquisit. verbo inquisitor, n. 18. sine Zanch. tract. de hæreticis. cap. 9. in princ.* Farinacius *quæst. 185. num. 19.* Sigismund. Scaccia *de iud. cap. 52. n. 2. vers. quin imò poterit.*

3. Sed inquires, quid impoterit supradicta clausula, ut procedi possit simpliciter, & de pleno, & absque Aduocatorum, & iudiciorum strepitu & figura?

Respondet optimè Clemens V. in *Clement. sèpè contingit, de uerborum significat. ut uidelicet iudex, cui taliter causa committitur, necessario libellum non exigat, litis contestatione non postulet, tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum à iure procedere ualeat, amputet dilationum materia, litem, quantum poterit, fiat breuiorem, appellationes dilatorias, & frustratorias repellendo, partium, Aduocatorum, & procuratorum contentiones, & iurgia, testiumque superfluum multitudinem refranando. Non tamen sic iudex litem abbreviet, quin probationes necessarias, & defensionis legitimæ admittantur. Citationem uero, ac præstationem iuramenti de calumnia, uel malitia, siue de ueritate dicenda, sic ueritas occultetur, per commissionem huiusmodi intelligimus nõ excludi. Verùm quia iuxta petitionis formam pronuntiatum sequi debet, pro parte agentis, & etiam rei, si quid petere uoluerit, est in ipso litis exordio petitio faciendi, siue scriptis, siue uerbo, actis tamen continuo, ( ut super quibus positiones, & articuli formari debeant, possit haberi plenior certitudo, & ut fiat definitio clarior) inferenda. Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litium propter partium confessiones, & articulos ad clariorem probationem uis longæius in causis admittit, Nos uisum huiusmodi obseruare uolentes statuimus, ut iudex sic deputatus à nobis ( nisi aliud de partium uoluntate procedat ) ad dandum simul utrosque terminum dare possit, & ad exhibendum omnia acta, & munimenta, quibus partes uti uolunt in causa, post dationem articuloꝝ, diem certam: quandoocunque sibi uidebitur, ualeat assignare, eo saluo quod ubi remissionem fieri contingeret pro testibus producendis, possint etiam instrumenta produci, assignatione huiusmodi non obstantè. Interrogabit etiam partes siue ad earum partes siue ad earum instantiam siue ex officio ubicumque hoc æquitas suadebit. Sententia uero definitiuam, citatis ad id licet non peremptorie partibus in scriptis, & prout magis sibi placuerit, stans, uel sedens proferat, etiam si ei uidebitur, conclusione non facta, prout ex petitione, & probatione, & aliis actis in causa fuerit faciendi. Quæ omnia etiam in illis casibus, in quibus per aliam constitutionem nostram, uel alias procedi potest, simpliciter, & de pleno, ac sine strepitu, & figura iudicij uolumus obseruari. Si tamen in praxim talibus solemnis ordo iudicarius in toto, uel in parte non contradicentibus partibus obseruetur non erit processus propter hoc irritus, neque etiam irritandus. Hæc Clemens V.*

4. Ex qua constitutione primò constat integra remanere quæ sunt iuris naturalis: siquidem probationes necessarias ad ueritatem indagandam omittit non debent citatioque partium, & illarum defensio legitime conceduntur, solum enim sublata: censentur solemnitates, quæ ex iure postiuo expostulantur. sic Emeric. *3. part. directori. quæst. 55.* & ibi Pegna *comment. 104. in fine* Paramus *de origine sanctæ Inquisitionis. lib. 3. quæst. 4. rubr. de forma, & ordine iudicario, n. 45.* Vmbert. *Locat. in iudic. inquisit. verbo de pleno.* Farinacius *quæst. 185. n. 14.* Et 6. Albertin. *rr. de agnosc. assertio cathol. q. 34. n. 31.*

5. Quæ autem solemnitates sint admittæ, & quæ omittæ, non est facile explicari. Primò omitti potest libellus etiam parte petente. At omitti non potest petitio in actis scribenda, quia iuxta petitionis formam pronuntiatum sequi debet: & notauit glossa in *supradicta Cle. verbo necessario. in fine.* & in *uero pronuntiatum*, ubi optimas rationes adducit, quare petitio in actis scribi debeat. Menochius *de arbitrariis lib. 1. quæst. 18. per totum.* Secundo omitti potest litis contestatio: sic tradit Pegna *director. 2. part. cõment. 19.* Sigismund. Scaccia *tractat. de iudicij, c. 103. num. 10.* Menochius *suprà* Farinacius *de hæresi. quæst. 185. n. 17.* Dacian. *tract. crimini. lib. 5. cap. 26. n. 11.* & *cap. 34. n. 5.* Neque obicit textus in *cap. cum contumacia, de hæreticis. in 6.* ubi inquisitus citari debet, ut de fide respondeat, per quem textum affirmat. Caret jus *tractat. de hæreticis. n. 111.* requiri litis contestationem, si delinquens præsens sit. Non inquam, obstat, quia

ex supradicto textu solum inferitur citandum esse reum, inferendo causam in citatione. Dubitatur autem quòd, an ex eo quod in iis causis litis contestatio possit omitti, possint etiam negari deliberatorie à reo petita, siquidem in aliis causis, in quibus figura iudicij seruatur, concedenda, sunt, si petatur, & notatur *cap. cum accusatus. 3. quæst. 3.* argui pro, & contra glossa, nec resoluit. At credo deliberatorias aliquos arbitrio iudicis dandas esse, quæ in defensionem ipsius uilæ fuerint necessarias: cum enim ipse reus possit iudicem recusare, si suspicetur sit, possitque actorem reconuenire, necessariò ad hos, & alios effectus deliberatoria concedenda est.

6. Tertio agitari, & sententiarum potest hæc causa feris ob necessitatem hominum inductis, quales sunt vindemiarum, & messium, etiam partes renuunt, quod in aliis causis fieri non potest: sic expressè *Clement. suprà. & glossa ibi, verbo ob necessitate.* An autem feris inductis in honorem Dei, & Sanctorum, & ob coronationem Principis repente inductis possit hic iudex procedere? Negat glossa. At contrarium credo praticari favore fidei: & probat *cap. si de feris*, ubi sententia in feris prolata inuualida est, nisi necessitas uigeat, & pietas iudicet: sed pietas, & religio conuenit causam huius abbreviare. Ergo ex hac parte omnibus feris tractari poterit.

7. Quarto amputat dilationum materiam, abbreviat litem, exceptiones, appellationesque frustratorias repellit, resecat iurgia, testium multitudinem refranct. Quæ omnia licet in omni causa, in qua figura iudicij seruatur, obseruanda sint, tamen in hac causa, in qua de pleno simpliciter, & summarè proceditur, ut bene dixit glossa *verbo exceptiones.*

8. Quintò requiritur citatio, sed sufficit uocata, cum aliis in principio cause requiratur trina, uel peremptoria, ut in *cap. quoniam, §. porro, ut litem non consist.* & habetur *cap. de illius. 2. 4. quæst. 3.*

9. Sextò expostulatur iuramentum calumniæ, ueritatis, & malitiæ, quamuis si tacite omittantur, non uideatur obinde processus uitiatus, *c. 1. de iuramento calumniæ, in 6.* & tradit glossa *supradictæ. Clement. verbo non excludi.*

10. Septimò conceduntur reo defensionis legitimæ, & tempus necessarium ad illam faciendam, admitti debet appellatio ab interlocutoria, aliàs contra ius procederetur: & tradit Pegna, *3. part. cõm. 103.*

Octauò citantur partes ad audiendam sententiam, sicut in aliis causis: ac in hac non citantur peremptorie, quia non concluditur causa, sed locus datur uerbis probationibus, & defensionibus, & notauit glossa *ibi, verbo conclusio.*

Notandè sententia ferenda semper est in scriptis, aliàs nullius ualoris, sicut in aliis causis ordinem iudicarium seruandus: & fuit maximè conueniens, ne ueritas occultaretur. Vide præter DD. suprà relatos, specialiter glossam.

PUNCTVM II.

De modo procedendi in crimine hæresis uia accusationis.

1. Hic modus procedendi non est in usu.
2. Si tamen quis illum uoluerit, admittendus est neque ad penam rationis cogetur se subscribere, tamen si grauior arbitrio Inquisitoris obicitur puniri, & in probatione desit.
3. Si se ad penam rationis subserpsit, & in probatione desit, tamen si aliquis sententiam ad illam esse condemnandam, probabilius est oppositum.
4. Expenditur modus instituendi hanc accusationem.
5. Accusare omnes possunt.
6. Infames laici contra clericum, pupilli, & minores cum auctoritate tutoris excommunicati, si alij non sint.
7. Intimicus capitalis admitti etiam potest ad accusandum, cautè tamen.

1. **C**ommuniter Doctores aduertunt hanc modum procedendi in crimine hæresis consuetudine esse abrogatum quia in hoc tribunali publicis est minister constitutus, quem uulgo *fiscalem* dicimus, qui personam accusatoris subit, & reos accusat, necesse ad penam rationis subseribit, aut ad alias quas falsi accusatores pati solent, ut optimè notauit Pegna, *direct. 3. part. cõment. 14. numer. 67. vers. sed cum hodie.* Decianus *tractat. crimin. lib. 1. cap. 28. numer. 8. in fine.* Farinacius *quæstion. 165. num. 40.* Paramus *de origine sanctæ Inquisitionis. lib. 3. quæstion. 9. numer. 15. & sequentibus.* Scaccia *de iud. capite 52. numer. 6. & sequentibus.* Ratio autem, quare penis accusatoris non probantis hic minister fiscalis non subiciatur, est, quia necessitate officij ob bonum publicum accusat, & quin nunquam accusat, nisi testes habeat. Quapropter iurata accusatoris non ex malitia, sed ex necessitate officij compulsi.

2. Verum si aliquis accusator accusatoris instet, & requirit



se velle subire, acquiescat Inquisitor, & accusatio proponatur in scriptis, iuxta textum in capite 1. 2. quaestio 8. ibi, Accusatorum persona nunquam recipiatur sine scriptis. Sed hoc scriptum iustitiae, si fiat a Notario proposita quicquid ab accusatore coram iudice; quia in hoc crimine procedi potest summariè, de pleno, & absque strepitu iudicii. cap. fin. de heretico, in 6. & tradit Pegna dicto comment. 14. versio. ubi autem Paramus de orig. Sancti Inquisitor. lib. 3. quaestio 9. num. 10. Fatiniacius num. 42. Insuper hic accusator non est obligatus se subscribere ad penam talionis: tum quia hæc poena in ceteris criminibus sublata est; ne crimina crescant, si è republica tollantur accusatores, vt verè tolluntur ex parte, si timent in probatione deficientes hinc poena subiectos esse, vt latius probat Couarr. lib. 2. variarum, cap. 9. num. 1. Simancas de catholice instit. tit. 6. num. 93. Rojas singul. sibi, singul. 6. Pegna supra versio. bis postu. Tum etiam, quia in hoc crimine non est necesse subscriptionem facere, cum in eo procedatur summariè, & absque figura iudicii, ex cuius concessione hæc subscriptio tollatur, vt bene notauit Pegna 3. part. quaestio 55. comment. 104. versio. itaque. Param. de orig. Inquisitor. lib. 3. quaestio 4. rubr. de forma, & ordine iud. sancti Inquisitor. non. 16. & 17. & quaestio 9. num. 12. Fatiniacius quaestio 185. num. 35. At etiam ad penam talionis accusator non se subscribit, ac proinde illam subire non debet, nihilominus si defecerit in probatione, & grauius puniendus est arbitrio Inquisitorum, quia habetur vt calumniator, & tanquam calumniator, puniendus est, sic docuit Rojas supra singul. 8. Pegna 3. part. comment. 14. versio. ex his. Fatiniacius num. 37. Non tamen caret probabilitate poena talionis puniendum esse, si ex multis probatum fuerit innocenter se accusasse iuxta constitutionem Pij V. quæ est eius 5. in Bullario: vbi statuit Pontifex denuntiantem per calumniam ad penam talionis esse liberatam, quod à fortiori dicendum videtur de accusatore, & notauit Fatiniacius num. 39.

3. Sed quid dicendum, si ad penam talionis se subscripserit, & in probatione defecerit, crimine puniendus ea poena cum ipse sibi eam voluerit imponi?

Respondeo cum Pegna in supradictis comment. 14. versio. sed quid, & Fatiniacius num. 37. adhuc eam subire non debere, sed mitius puniendum esse. Non quia dignus non sit, sed quia Ecclesia vult misericordiam cum illo exercere, & non rigorosam iustitiam, iuxta textum in cap. super his, de accusationibus. lib. 4. extraneam penam, secundum arbitrium iudicis dicitur circa vinculum inscriptionis est excipiens adfringendus, defecerit in probando. Item testis falsus nunquam punitur talionis poena, sed minori, quam testificans subiret, si verum esset crimen obiectum. Ergo idem de accusatore dicendum est, cum minus nocet accusator, quam testis. Quod certissimum est, casu quo accusator vnum testem produxerit, aut saltem probauerit se à fide dignis audiuisset; quia tunc dici non potest integrè in probatione defecere, cum saltem ex parte delictum probet, sic ex Bart. Baldo, & aliorum Pegna dicti comment. 14. dicens esse legitime obseruandum.

4. Modus autem instituendi hanc accusationem tradit Eymericus 3. part. direct. num. 67. & ibi Pegna num. 71. rubr. de modo continuandi processum. Ludouicus à Paramo de origine sancti Inquisitor. lib. 3. quaestio 9. num. 17. & supra num. 93. aduertit esse necessarium in accusatione exprimiti locum loci, vt loquuntur Canonice, id est, specialem locum, vt v. g. domum Ecclesiam talis ciuitatis, & tempus præcisum commissi criminis, sed tantum mensum, & annum, oppidum, & ciuitatem, &c. tum ne accusatus in notitiam testium, antequam producantur, denuntiet: tum quia solemnitates Libellorum, & de accusationibus non sunt in hoc crimine obseruandæ necessario, & sicut de heretico in 6. At etiam in accusationis libello non exprimitur locus; dies præcisus commissi criminis: at in capitalis productus ad probationem criminis apponi debent, vt bene ex Decian. tract. crim. l. 5. cap. 28. n. 10. tradit Fatiniacius q. 185. n. 10.

5. Quod si forte, quibus competat accusatio?

Respondeo competere omnibus indifferenter, quia vt optime tradit in lib. Manichæos §. 1. C. de heretico. hoc crimen publicum est, & omnium fertur iniuriam, eo quod in religionem diuinam committatur. Publici autem criminis, & in omnium iniuriam cadentis omnibus competit accusatio, sic Repert. Inquisitor. verbo accusatio, versio nota quod in isto crimine. Carter. tract. de heretico. à n. 107.

6. Hinc sic aduerti infames laicos contra clericum, pupillos, & minores, non tamen sine autoritate tutoris, & curatoris bene tamen filios familias absque patris consensu: alios referens docet Fatiniacius heresi. quaestio 185. num. 23. Excommunicati autem excommunicatione maioris, si denuntiati sunt, vel publici percussores clerici, repellendi videntur, dum in excommunicatione existant, quia in iudicio esse non possunt, ipsique ius peccentibus denegatur cap. in relligiosis, de iudic. cap. ad in tit. lib. 6. cap. significauit, & cap. cum inter, de exceptionibus, cap. decernimus, de

sent. excomm. & aliis, & tradit pluribus relatis Petrus à Placha lib. 4. delictorum. c. 44. n. 10. Clarus practiarum q. 14. versio. quæro nunquid excommunicatio. Carterum credo admitti posse in defectum, argumeto ducto ex cap. in fidei fauorem de heretico in 6. vbi in fauorem fidei ne crimen hæresis maneat impunitum, excommunicati admittuntur in testes. Ergo possunt in accusatores admitti, præcipue cum non putant ius proprium laicum relaxare, quod illis esset negandum, sed petant reparationem iuris publici, & religionis.

7. De inimico autem capitali est grauius difficultas, an ad accusandum in hoc crimine excepto admitti possit? Negat Carter. ir. de heretico. n. 17. versio. à prædictis. Campeg. in addition ad Zanob. tract. de heretico. iur. D. in verbo omnis Eymeric. direct. 3. part. q. 67. versio. respondemus, in fine & ibi Pegna comment. 1. 6. in fin. Ratio esse potest. Primò, quia inimicus non presumitur procedere zelo iustitiæ, sed amore vindictæ, ac proinde presumitur calumniator. Secundo, quia in quolibet delicto, quantumvis grauis inimicus capitalis repellitur à testimonio dicendo, ex textu in lib. 3. & ibi Doctores ff. de testibus. lib. 1. §. præterea. ff. de quaestibus. authent. si testis productus. C. de testibus, sed repulsi à testimonio repelluntur ab accusatione, cap. testes. 2. quaestio 7. cap. sancti. 15. quaestio 3. cap. super prudentia, 12. quaestio 2. & tradit late Decian. tractat. crim. lib. 3. cap. 25. per totum, & cap. 26. n. 1. & segg. Verum creditur probabilis inimicus admitti posse, caute tamen, & vt suspectus, sic Clarus pract. 14. versio. vterius dixi, Gigas de crimine Illesamaie stas, lib. 2. rubr. qui accusare possunt, q. 6. n. 13. Decian. crim. lib. 3. cap. 25. n. 7. Parilius. conf. 2. n. 54. & 75. lib. 4. Fatiniacius. q. 185. n. 29. q. 12. n. 39. lib. 1. praxis. Probo, quia hoc crimen in omnium iniuriam cedit, vt habetur libro Manichæos. C. de heretico. Ergo prosequens illius vindictam iniuriam omnium censeri debet prosequi, vt pote principalioris proptie. Ergo non propriam. Tum quia si ad hoc crimen accusandum non admittitur inimicus, difficile inueniatur, qui accuset. Tum denique, quia accusator non probat, sed exhibet probationem. Ergo si accusator fidem non faciat, quia non assumitur, vt testis, nulla est efficax ratio illum excludendi, præcipue cum ex illius admissione possit damno publico præcauti.

PUNCTVM III.

De modo procedendi in hæresis crimine per denuntiationem.

- 1 Denuntiator non tenetur probare: ac si probetur calumniator se denunciasset, grauius puniatur.
2 Forma denuntiationis, & stylus ea seruandus.
3 Facta denuntiatione Inquisitor procedit non ad instantiam partis sed ex officio.
4 Admittuntur in hoc crimine ad denunciandum omnes, tametsi absentes, debent tamen litteras subscribere.

1. Hic est vltimus modus in hoc crimine procedendi, cum denuntians non sit ita periculosus, vt pote qui ex consuetudine recepta non subeat probandi onus, sed iudici hanc obligationem remittat, vt bene dicit Eymericus 3. part. direct. 3. rubr. de secundo modo procedendi in causa fidei per denuntiationem, n. 68. & ibi Pegna comment. 15. versio. bis per actus. Ludouicus Paramo de origine sancti Inquisitor. lib. 3. quaestio 8. num. 21. & 22. Fatiniacius de heresi, quaestio 185. numer. 71. Scaccia de iudic. cap. 72. Verum est probare non teneatur, si tamen conuincatur falso denunciante, tanquam calumniator arbitrio Inquisitoris puniendus est, quia hic denuntiator, non suam, nec suorum iniuriam prosequitur, sed communem religionis, assumitur in testem ex generali consuetudine inquisitionis, vt notauit Simancas catholice institut. tit. 19. rubr. de denuntiat. num. 17. & tit. 64. rubr. de testibus, num. 55. Repertus Inquisitor verbo accusatio, & verbo testis. Ergo tanquam testis falsus puniendus est. Adde ex sola ipsa denuntiatione, si falsum deponat, grauius lædit delatum, cum aperiat viam iudici inquisitionem specialem aduersus illum faciendi merito ergo puniri debet vt calumniator. Pegna ad Eymericum 3. part. direct. 3. rubr. de duodecimo modo terminandi processum, comment. 40. versio. ad hæc imò ex constitutione Pij V. quæ est eius 5. in Bullaria, versio. monemus præterea, si forte in viridi esset obseruantia, poena talionis puniatur, qui per calumniam probatus sic denunciante.

2. Forma denuntiationis, & stylus, quem Inquisitores seruare debent in recipiendis denuntiationibus, optime ponitur ab Eymeric. 3. part. direct. num. 68. & ibi Pegna comment. 15. In primis enim denuntiatio facienda est in scriptis, vel saltem verbis, quæ à Notario in scriptis statim redigantur, vt tradunt

DE
US
TR
ALAY
TOM.
III.